This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

L. eleg. m.
626
b

Digitized by Google

L. elg. m. 626 S

Digitized by Google

<36613574140011

<36613574140011

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

L. eleg. m.

GERMANORUM

PHILOLOGOS ET PAEDAGOGOS

STETINUM CONVENIENTES

A. MDCCCLXXX. M. SEPT.

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

SALVERE IUBENT

GYMNASII MARIANI COLLEGAE.

INEST

REINERI PHAGIFACETUS

ADDITA VERSIONE SEBASTIANI BRANTII

RECENSUIT

HUGO LEMCKE.

STETINI MDCCCLXXX.

Gesch. 1028

33

B

Digitized by Google

Digitized by Google

GERMANORUM

PHILOLOGOS ET PAEDAGOGOS

STETINUM CONVENIENTES

A. MDCCCLXXX. M. SEPT.

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

SALVERE IUBENT

GYMNASII MARIANI COLLEGAE.

INEST

REINERI PHAGIFACETUS

ADDITA VERSIONE SEBASTIANI BRANTII

RECENSUIT

HUGO LEMCKE.

STETINI MDCCCLXXX.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

REINERI

PHAGIFACETVS

SIVE

DE FACETIA COMEDENDI

LIBELLUS

ADDITA VERSIONE SEBASTIANI BRANTII

RECENSUIT

HUGO LEMCKE.

STETINI MDCCCLXXX.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

GERMANORUM

PHILOLOGOS ET PAEDAGOGOS

STETINUM CONVENIENTES

A. MDCCCLXXX. M. SEPT.

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

SALVERE IUBENT

GYMNASII MARIANI COLLEGAE

G. WEICKER. A. KOLBE. G. PITSCH. H. LEMCKE. R. HOFFMANN. C. CONRADT. R. JOBST. E. SCHMOLLING. O. LOEWE. A. TEXTOR. TH. WIENKE. G. QUECK. E. WALTER. C. MÜLLER. J. GRASSMANN. G. MÜLLER.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Carmina latina medii quod dicitur aevi, postquam diu iacuerunt et plerisque fuerunt in contemptu, nostris tandem temporibus in maiore esse honore coeperunt, ex quo virorum illustrissimorum Jacobi Grimmii et Andreae Schmelleri[1] *opera et auctoritate factum est, ut hominum doctorum fastidia iustis limitibus coercerentur; neque quemquam, qui accuratius in hoc genere elaborarit, fugere poterit, quantum ad recte cognoscenda temporum, quae tum fuerunt, cum instituta moresque tum artium literarumque studia latini illi poetae contulerint. Inter ea autem, quae satis multa exinde publici iuris facta sunt, Reineri Phagifacetus principalem quendam locum obtinuit, quippe cuius editio primum a Frid. Jacobo anno 1838 e codice Lubecensi suscepta, iam anno insequenti Eichstadii professoris Jenensis curis iterata, tertium codice Gothano in subsidium adscito ab H. Habichio anno 1860 repetita sit. Quare is, quem Jacobus excusandi sui causa, quod tam obscuri hominis causam suscepisset, propter orationis leporem et rerum iudicia et morum praecepta pariter atque simplicitatem, ut non inficetum commendari posse crediderat, plane in virorum doctorum curas videtur esse receptus. Neque id iniuria factum est, nam Reinerus etiam medii aevi hominibus*

1) *Latein. Gedichte des X. u. XIJh. herausg. v. Jacob Grimm und Andreas Schmeller. Göttingen 1838. p. L. Nach diesen Ausführungen ergibt sich genugsam, was die mittellateinische Poesie erreicht und verfehlt hat, aber auch wie wenig vorbeigegangen werden kann, sie genau zu studieren. Sie fliesst auf die heimische Dichtkunst ein und empfängt von dieser Eindrücke; sie erhebt ihre Stimme da, wo jene zum Schweigen gebracht ist; zu ihr hat sich eine Menge von Stoff geflüchtet, den jene erzeugte, aber kein Mittel mehr hatte zu erhalten. Ziehen beide nebeneinander, so ist es lehrreich, zu vergleichen, auf welche Weise sie sich bald hemmen, bald unterstützen. Cfr. etiam Bernhardy Grundriss der röm. Lit. ed. 4a. p. 359. Vor allen Darstellern des zwölften Jahrhunderts, welche den grossen Fortschritt in correcter Form und gelehrtem Wissen darthun, glänzen die Dichter; sie waren trefflich geschult, und ihre formale Gewandheit könnte schon das früher uneingeschränkte Vorurtheil gegen die Barbarei des Mittelalters widerlegen.*

Digitized by Google

tam gratus fuit et acceptus, ut iam saeculo XV⁰ opusculum eius ter prelo mandaretur versionibusque compluribus germanicis etiam ad communem nostratium adaptaretur intellegentiam, quarum unam divulgavit Sebastianus Brant, illustrissimus ille navis stultitiae auctor, alterius ab incerto auctore confectae exemplar in codice Gothano servatum est. Cum autem veteres illi libri impressi tam rari sint, ut superiorum editorum nulli eos inspicere licuerit, primo unius, tum duorum tantum codicum copiis eis standum erat, et cum ipsi eius, quod Reineri temporibus erat, dicendi generis imperitiores ad eam rem accesserint, non multum profecerunt. Peropportune igitur mihi accidit, ut non solum libros impressos duo versionemque Brantianam possem percensere, sed etiam in Mariani gymnasii nostri bibliotheca tertium eius carminis codicem manuscriptum invenirem nulli antea cognitum, accuratissime conscriptum ceterisque praestantiorem. Quare cum novae editionis, qua mundior efficeretur Reinerus et, quantum fieri posset, genuina carminis forma restitueretur, occasio oblata esset et a collegis hoc muneris mihi esset mandatum, ut eius animi atque voluntatis, qua Vos in urbe nostra congregatos essent salutaturi, exsisterem interpres, feci non invitus, ut hunc Phagifacetum Vobis gratulandi causa offerrem, non ut tristis ac severus morum castigator, qui commendandam Vobis mensarum facetiam, quasi unquam illa a nostris conventibus abesse posset, arbitrarer, sed quia Vobis Stetinum[2]) convenientibus e Stetinensibus nostris copiis aliquid, si non ortum at certe auctum et emendatum dedicandum esse videbatur.

Iam Reinerus quis fuerit et quando vixerit, ab eis, qui medii aevi latinitatis et poesis historiam copiosissime adumbraverunt Fabricio[3]) et Leysero,[4]) frustra quaeras, nam perpauca adhuc de eo nota fuerunt, nec in carmine ipso auctor quidquam de se praedicavit, praeterquam quod litteris quindecim priorum versuum initialibus nomen suum ita insinuavit, ut resultet REINERUS ME FECIT. Appellatur autem in Codice Lubecensi: Magister Reynerus Almanicus de Saxonya, *in Gothano:* Magister Rhenerus, *Stetinensis unus addit* eum Thuringiae lantgravii fuisse protonotarium,[5]) *in editionibus saeculi XV nomen eius iam evanuit; ea*

---

[2]) *Iam enim genuina forma latini urbis nostrae nominis Stetinum vel Stettinum, quae antiquioribus temporibus sola in usu erat, in suum ius atque auctoritatem restituenda est, postquam saec. fere 16 ab hominibus prave doctis, quibus nihil satis dignum videbatur, nisi quod ad graecum aliquem aut latinum scriptorem referri posset, cum a Ptolemaeo (II. 10) olim Sidinos in his locis habitasse proditum esset, novum nomen Sedinum inventum est.*

[3]) *Hist. poet. et poem. med. aevi. Hal. 1721. p. 2122.*

[4]) *Bibl. med. et inf. latinitatis VI. Hamb. 1746. lib. XVII. p. 125.*

[5]) *Cfr. Ebert zur Handschriftenkunde I. p. 158.*

Digitized by Google

autem quae Leyserus et Fabricius et qui eum exscripsit Ioecherus, proferunt, nihil lucis addunt videnturque omnia referenda ad Freherum,[6] *qui codicem quendam Reineri tum Lipsiae adservatum, inde autem ab anno 1817 desideratum, descripserat. Quaerentibus igitur nobis, cum eius investigandi via demonstrata videretur, ex eis qui per Thuringiae et Saxoniae fines tabulariis regum aut principum praesunt, num in litteris eius terrae sigillatis Reineri cuiusdam protonotarii nomen, ut fit, exstaret, a ceteris quidem omnibus responsum est, nihil sibi de illo innotuisse, nuperrime autem codicis Saxoniae regiae editor doctissimus Posse Dresdensis certiores nos fecit meminisse sese nomen illud sibi in colligenda et constituenda Thuringiae notariorum serie occurrisse idque in diplomatis ante annum 1247 conscriptis, sed quia per illos dies ruri degeret, collectanea, id quod doleret, sibi non esse in manibus, ex quibus accuratius quando ille vixerit, certis finibus circumscribi posset. Cum autem lantgraviatus Thuringiae anno 1129 institutus sit*[7] *et Horatius, cuius fuisse Reinerum et amatorem et imitatorem mox videbitis, una cum Vergilio Iuvenale aliisque poetis antiquis iam eodem saeculo exeunte aut certe tertio decimo ineunte a nostratibus tractari desitus sit,*[8] *iam Reineri tempora latis illis quidem, sed certis terminis definiuntur. Quare non omnino reicienda sunt, quae Eichstadius in programmate novi prorectoratus Jenensis auspicia anni 1839 indicente monuit; Reinerum enim monachum fuisse dixit anno 1155 natum, adscriptum ordini Benedictinorum in coenobio S. Laurentii Leodiensis, cuius opera varia ac multa, et pedestri sermone et versibus conscripta primum a Pezio*[9] *edita, partim etiam in Actis Sanctorum Boll.*[10] *et a Mabilionio*[11] *publici iuris facta, quantum ad historiam pertinent nuper a W. Arndtio in Monumentis Germaniae historicis*[12] *repetita sunt. Ubi Reinerus secundo libro eius operis,*[13] *quod de claris scriptoribus monasterii sui composuit, suam ipse vitam describens et carmina recensens, quamquam Phagifaceti nusquam facit mentionem, se dicit iam adulescentulum magnos poetas temptasse utcunque imitari et ubivis eam, quam infra etiam in Phagifaceto apparere*

---

6) *Catal. cod. mss. bibl. Paulinae. p. 389.*

7) *Waitz in Forschungen zur deutschen Geschichte XIV. p. 29.*

8) *Leibnitz in introd. ad Gervasii Otia (SS. rer. Brunsv.) Vixit eo saeculo, quod ego cum proximo omnium saeculorum post Chr. n. ineptissimum esse comperi, decimo tertio inquam, quo subito omnes propemodum boni scriptores evanuere, cuncta in se trahentibus monachis mendicantibus, qui tunc insurrexerunt — ut vix alia quam utriusque iuris et scholasticarum argutiarum studia superessent.*

9) *Thesaurus anecdotorum nov. IV. pars. III.*

10) *April. II. p. 857—862.*

11) *Acta Sanctor. ord. Bened. VI. I. p. 176—185.*

12) *SS. tom. XX. p. 561 ss.*

13) *De ineptiis cuiusdam idiotae libellus II. ibidem p. 599 ss.*

Digitized by Google

docebimus, cum aliorum poetarum Romanorum tum Horatii[14] *literarumque graecarum*[15] *habuisse notitiam ostendit. Si autem verum est, quod Eichstadius dicit, neque unde habeat addit, eum anno 1155 natum esse, vix credi potest eum iam paulo post annum 1182, id quod Arndtius certas ob causas voluit,*[16] *defunctum esse, sed verisimilius videtur Reinerum Laurentianum eundem esse quem Alemannicum et Leodio post illum annum in Thuringiam profectum ibi demum Phagifacetum composuisse, quo factum est, ut eius in opusculo illo iam ante confecto mentionem non faceret. Sed illa tamdiu in dubio relinquenda, quamdiu de protonotarii aetate non constabit. Carmen ipsum inscribitur et subscribitur in codicibus* Phagifacetus, *in Gothano etiam aeque atque in libris impressis* Thesmophagia, *additur autem huic titulo* de facetia mensae, de moribus et facetiis mensae, *vel aliud eiusmodi. Phagifacetus autem vox hibrida est, quam recte perspiciens glossator codicis Stetinensis interpretatur:* et fagifacetus a fagin graece, quod est comedere latine, et facetus, quia liber tractans de facesia comedendi.

Ab Hainio[17] *etiam* Liber Faceti *vel* Facetus morum, *cuius quatuordecim editiones recensentur, atque in eis sex cum versione Seb. Brantii Reinero Alemannico adscribitur, quod num iure faciat equidem valde dubito; vereor enim ne in eo Schoettgenii errorem secutus sit, qui in Fabricci libro iam laudato, cuius ille partem extremam composuit, verborum similitudine deceptus scribit:* Rainerius Alemannus nescio quis Eius est tractatus Fayfacetus seu de moribus in mensa requisitis, metrice qui editus est sub nomine Faceti cum commento. *Quod quamvis sit ineptum, tamen, ut fit, in aliorum libros irrepsit et vel a Graessio*[18] *receptum est. Neque magis constat, quo iure tractatus alius nomine* Pamphilus, *quo* „Pamphili cuiusdam illicitus amor in Galatheam quam stuprabatur per anum“ *versu elegiaco lascivius describitur, eiusdem Reineri dicatur, cuius manuscripta innotuerunt duo, unum in bibliotheca monasterii Dunensis in Flandria*[19] *alterum in bibliotheca nostra asserratum, quod eodem codice quo Phagifacetus continetur.*

---

14) *Cfr. M. G. SS. XX. p. 562. l. 45; 565. 41; 571. 39; 593. 16; 594. 53; 599. 48; 600. 3; 601. 25; 603. 26.*

15) *Cfr. M. G. SS. XX. p. 559. 26. Homilie Euscbii XII de Graeco in latinum translate.*

16) *Cfr. ibidem praef. p. 561. 4. De Reinero autem ex scriptis suis novimus eum monachum S. Laur. Leod fuisse, defunctum autem paulo post annum 1182 inde divinare licet, quod opusculum breve de incendio eccl. S. Lamberti anno 1187 facto iam exaraverit alter quam codicis scriba.*

17) *Repertorium bibliogr. no. 6883 ss.*

18) *Litterärgesch. II. p. 706.*

19) *Cfr. Fabricius l. l.*

Digitized by Google

Sequitur ut de codicibus, quos saepius commemoravi et de editionibus dicatur. Ac codices quidem exstant tres, Lubecensis (**L**) *Stetinensis* (**S**) *Gothanus* (**G**), *quorum antiquissimus videtur Lubecensis in bibliotheca publica sub no. 64 asservatus, in quo Reinerus inter octo opuscula varia variis temporibus conscripta quintum obtinet locum. Est autem membranaceus in octavo, saeculo fere quarto decimo exeunte vel quinto decimo ineunte exaratus, in quo Phagifacetus continetur, undeviginti paginis versuum plerumque vicenorum ternorum aut quaternorum; librarius nec diligenter nec dilucide scripsit, tamen nunquam ut in legendo haereas; adiectae sunt glossae perpaucae minimi plerumque pretii. A quo non multo aetate recedit Stetinensis (bibliothecae Gymnasii nostri no. 16) anno 1436 a Johanne Neuburgero nitidissime et diligentissime conscriptus, chartaceus in folio. Ex eodem codice anno 1869 Fridangi discretionis versionem latinam typis mandavi. Phagifacetus ibi legitur inde a folio tricesimo sexto usque ad quinquagesimum quartum in paginis triginta septem versuum duodenorum; glossas permultas et interlineares et marginales, quae partim argumenta explicant, partim verba singula interpretantur, nonnunquam etiam vernaculo sunt sermone confectae, eadem manus, quae textum, exaravit; literae initiales saepe coloribus variis haud spernenda arte illuminatae. Gothanum, quem Habichius in programmate gymnasii Ernestini anno 1860 accuratissime descripsit, non ipse inspexi. Est autem miscellaneus forma quadrata chartaceus literis scriptus invenustis nec ad legendum valde expeditis* „anno 1498. 17. Cal. Sept. finem sortitus“, *non solum glossis uberrimis pariter ac Stetinensis, sed etiam versione germanica instructus. Editiones veteres, quas iam commemoravi, ab Hainio*[20] *recensentur duae, tertiae cuiusdam* (**h**) *exemplar, quod Hannoverae in bibliotheca urbana esse compereram,*[21] *petenti mihi libentissime inspiciendum permissum est; prodiit autem Lipsiae anno 1498 in quarto. Eius, quom Sebastianus Brant Basileae circa annum 1490 una cum versione sua germanica textui latino interposita divulgavit, quamvis rarae exemplar* (**b**) *mihi ipse comparare potui. Qui libri cum a codice Gothano aut nihil aut non multis annis distent, auctoritate ei pares putandi sunt.*

Videntur autem fuisse codicum duae potissimum recensiones, altera melior et vetustior, altera corruptior, ex qua Gothanus et libri impressi, qui ab eo proximi stant, profecti sunt; ex illa priore manarunt Lubecensis et Stetinensis, ita tamen ut maior discrepantia sit inter hos, quam inter illos minores, et in locis difficilioribus, ubi non raro discordant, tamen non ad

---

[20] *Repertorium bibliogr. no. 6899 et 6900.*

[21] *Cfr. Grotefend, Verzeichniss der Handschriften u. Incunabeln der Stadtbibl. zu Hannover — Hannov. 1844. Incunabeln no. 76.*

Digitized by Google

alterius recensionis fidem recurrant. Ceterum iam ei, qui codicis Stetinensis archetypum confecit, utriusque familiae exemplaria praesto videntur fuisse, nam non solum saepius lectionis varietatem addito aut omisso „vel“ *inter lineas superscripsit, ut legentibus utrum praeferre malint, permissum sit, sed etiam in margine interdum addidit:* „alii libri habent“. *Itaque in recensendo carmine cum videremus Lubecensem antquiorem illum quidem esse, sed nec bene nec ex bono exemplari exscriptum et ita paratum, ut lectiones eius non raro sensu careant, quam ob rem Jacobo et Eichstadio saepius excidisse aliquid et mutilatum carmen videbatur, eam viam ingressi sumus, ut ubi Lubecensis et Stetinensis inter se concordarent, horum auctoritatem sequeremur, ubi discordarent, Stetinensem praeferremus, Gothano et libris impressis tum demum in subsidium adscitis, ubi neuter illorum verum servasse videretur.*

Quisquis autem Reinerus fuit, nec indoctum nec inficetum eum fuisse dicemus, nec ingenio ac vi poetica caruisse. Oratio enim eius, etsi multis in rebus ab eo, quod veteres probarunt, dicendi genere abhorret, tamen antiquitatis aliquam prae se fert speciem et rotunda est et nitida, neque vereor ne hodie quis in eis haereat, quae superiores editores, quia contra grammaticae aut metricae leges esset peccatum, tollenda et emendanda putarunt. Nam illa saecula, ut suum sibi scribendi morem et rationem invenerunt, ita in metrica quoque licentiam primo Leoninorum potissimum versuum causa inventam et adsumptam, tum usu probatam et concessam retinuerunt, velut neglectum hiatum, correptam syllabam longam imprimis o *ablativi gerundii in dactylis pedis quinti, productam syllabam brevem in arsi pedis tertii ante caesuram, aliaque eiusmodi, quae omnia iam Jacobus Grimm*[22]) *accuratius adnotavit, quorum exempla in Phagifaceto quoque passim reperiuntur. Itaque ne in his quidem offenderis*

26. Nec est credendum, quod orta facetia mense
146. Cum sit idem facere sic ac extendere pennas
418. Ac inclinati grates excelsior ipsa
324. Sic tua periphrasi fiat mandatio, quam non
81. Omnia namque preit invitatoria gustus
226. Hic iam ne generet tristes xerophagia rictus,

o *autem ablativi gerundii, quod in uno eodemque versu et productum et correptum invenias (190), rarius vel in secundo et tertio pede corripitur*

382. Esse premendo gravis —
424. Non spernendo cibos —
316. Ipse tibi potando prior —

---

[22]) *l. l. p. XX. ss.*

Digitized by Google

Leoninorum autem versuum elegantia a Reinero ad id est reposita, si quando vel sententia graviter enuntianda vel orationi ornatus quaerendus est, cuius rei maxime memorabile praebent exemplum versus 166—168, 211, 439—440.

Similem in modum plurima, in quibus librarii medio aevo a veterum, quos nos sequimur, scribendi more aberrant, servanda putavi, quibus sublatis nec id quod Leoninus versus exigit, effici poterit, ut vocabula in fine versus et ante caesuram posita bene et plane consonent, et suus tamquam color inde adimetur et delebitur. Maluimus igitur scribere e *quam* oe *et* ae, *velut* cepte *pro* coeptae, nichil, michi, iocunda, Volcanus, roboare *non reboare,* dampnum, impartire, commessatio *non comissatio,* cithera *non cithara,* Nais *non Naias, litteramque* h *quae aut suo loco omitti aut alieno inseri solet, codices secuti omisimus in* cirurgus *et* ortus *(hortus), servavimus in* hostia *(ostia),* Heoleus *(Aeoleus)aliis. Quae etsi magna ex parte malae consuetudinis sunt residua et legentium oculos tenere possunt, tamen quia eius temporis propria sunt, servanda potius quam emendanda erant, neque vereor ne plus iusto in eis haereatis et offendamini. Contra litteras* f *et* ph, c *et* t, *quarum promiscuus est usus, cum* c *et* t *aut nullo prorsus scripturae discrimine in codicibus eius aetatis diiungantur, aut plane inter se permutentur, secundum nostrum morem distinximus et* ph *in omnibus vocabulis graecis restituimus.*

Nec magis debitis offendi in eis, quae contra grammaticae leges veterumque sermonem et dicendi genus videntur peccata esse. Nam cum voces novas tum constructiones et coniunctiones verborum novas et quae Vobis paene barbarae videri possint, media illa, quam saepe diximus, latinitas, cum vivi etiamtum corporis instar floreret, suo sibi iure adinvenit. Noli igitur in eo genere aut librarii aut editoris errori id tribuere, cum invenies quia *et* quicunque *coniungi cum conjunctivo pro indicativo (203. 208. 219), ne interrogationem quidem indirectam fastidire indicativum, (300.) imperativo adiungi negationem* non, *in eadem enuntiationis parte eandem vim esse indicativi quam coniunctivi (397. 405), neque melius servari temporum quam modorum leges, velut praecedenti praesenti indicativi aut coniunctivi adiungi futurum et perfectum (175.* surgat et non rehabebit *421.* vacant — venit*), infinitivum perfecti poni pro praesenti (118) comparativum nonnunquam idem valere quod superlativum (360), infinitivi usum latius patere et non solum gerundii vice fungi (18) sed etiam enuntiationis relativae (32) et finalis (132), pronominis reflexivi dativum* sibi *passim in usu esse pro dativo pronominis personalis tertiae, qui usus apud alios etiam latius patebat*[23]) *pronomen*

[23]) *Cfr. Schmeller l. l. p. 227.*

Digitized by Google

ipse *auctionis notione plane amissa non plus valere quam* is *(29), genetivum pronominum personalium pro pronomine possessivo esse (356. 426), nec graecas abesse constructiones (409.* non est scire*).*[24] *Non raro ita est turbatus verborum ordo, vix ut, quid poeta sibi velit, diiudices ut*

5 4 2 3 6 1

159. — licitum sibi quod nichil estimet ultra *— quamquam quae Reinerus in eo genere commisit, multo sunt clariora eis, quae Schmeller e Ruodliebo attulit.*

Vocabula etiam singula, quae rariora et nova videri possint, in Phagifaceto non desunt, quae omnia exscribere nolui, eis tantum adnotatis, quae in lexicis nostris frustra quaeras et partim ne in Diefenbachii quidem glossario, qui Ducangium multo superat, invenias. Sunt autem haec:

213. acrimen *et* salsa *condimentum*
196. commolitio *compressio, mollis exscreatio*
17. facere *creare (*factor *creator i. e. deus)*[25]
330. inferre *loqui*
119. interscalariter *gradatim*
81. invitatorium *illecebrae*
365. morsellus *frustum*
109. personatus *dignitas*
400. rorare *irrorare*
143. scolpus *extensio buccarum*
191. screatio *screatus, exscreatio*
178. 354. segma *(vox hibrida) frustum, segmentum*
130. senarius *pediculus*
433. typicare *significare.*

Tantum autem abest ut propterea Reinero veterum poetarum libros ignotos fuisse putemus, ut eis vel maxime eum operam dedisse totumque in illis fuisse dicendum sit. Etenim in Phagifaceto non solum saepissime singula vocabula aut versus ab illis oriunda et in suum usum a poeta accommodata occurrunt, — quae tamen non ita mutuatus est, ut ex alieno penu depromptis suam tegeret nuditatem, immo ea, quae diligenter legendo in memoria haerebant, ultro se scribenti offerebant — sed etiam ad illorum vivendi praecepta et rationes Reinerus se conformaverit (cf. v. 98. ss.). Praeter ceteros autem Venusinum ita adamavit, ut nocturna eum versasse manu, versasse diurna totusque eius fuisse videatur. Quod quo facilius

---

[24] *Cfr. Grimm et Schmeller l. l. p. 69. 227. 325; et Barack die Werke der Hrotsvitha p. XLVI. ss.*

[25] *Cfr. Grimm et Schmeller l. l. p. 321. et X in adnot. ad p. IX.*

Digitized by Google

perspiciatur, eos locos, in quibus potissimum Horatium secutus est, et hic exscripsi et in adnotatione carmini subiecta suo quemque loco breviter commemoravi.

Quorum maiores sunt hi:

101. Et fastiditum moveat cornicula risum
Epl. I. 3. 19. — moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus —
146. Cum sit idem facere sic ac extendere pennas
Maiores nido nec metam ponere votis
Epl. I. 20. 21. — maiores pinnas nido extendisse
215. Hunc ego, quisquis is est, etiam si rustica quevis
Det sibi mensa cibum, que nil curabile curat,
Non magis esse velim me —
A. P. 35. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim quam naso vivere pravo
257. Principibus placuisse viris et provida novit
Epl. I. 17. 35. Principibus placuisse viris non ultima laus est
48. Mensarum qui primus honor, quicunque laboras
Serm. I. 6. 83. Qui primus virtutis honos —

Praeterea non raro occurrunt eadem vocabula eodem versus loco posita (quae res etsi minoris est momenti et versus vocumque id fert natura, tamen non plane erit omittenda), ac primum quidem in fine versus

105. — Si queris qualiter, audi!
Serm. I. 1. 14. — nec te morer audi

quod praeterea quinquies invenies. Epl. I. 2. 5; 14. 31; 17. 16; II. 2. 95. A. P. 153.

115. Abstineat igitur donec complerit herilis
268. Dimissura ciphum manus extendatur herilis
Serm. II. 7. 60. — peccati conscia herilis
78. — patulis coram portata canistris
Serm. II. 6. 105. Quae procul extructis inerant hesterna canistris
152. — sed tu quocunque locorum
Epl. I. 3. 34. — ubicunque locorum
392. — fuge stulta nec aude
Serm. II. 1. 10. Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Epl. I. 2. 40. — sapere aude
429. Procedensque calix per quoslibet ordine donec
Serm. II. 1. 73. — discincti ludere donec
Epl. I. 18. 63. — lacus Adria donec
109. — nisi verbum forte rogando

Digitized by Google

Epod. 14. 5. — occidis saepe rogando
44. Nec quasi corda lyre sic discordare memento
97. — illud Senece tunc usque memento
370. Huic iunctus quid agas caveasve videre memento
Serm. II. 4. 12. longa quibus facies oris erit, illa memento
Serm. II. 4. 89. ducere me auditum perges quocunque memento
Serm. II. 5. 52. — tabulas a te removere memento
Epl. I. 8. 16. Praeceptum auriculis hoc instillare memento

Etiam alio versus loco uterque eodem utitur vocabulo

256. Officiosa manus nec fructum messuit
Epl. I. 7. 8. Officiosaque sedulitus —
411. Multa quidem dici poterant, sed carminis hora
Epl. I. 9. 7. Multa quidem dixi —
412. Singula si dicam, inopem me copia fecit
Serm. I. 8. 40. Singula quid memorem —
94. Et properare fugam contracti cogitur oris
Serm. II. 2. 125. — contractae seria frontis
131. Prandia qui turpi contristet herilia vultu
Serm. I. 1. 36. — contristat Aquarius annum
176. Sepe michi dubiam traxit sententia mentem
Epl. I. 1. 97. — pugnat sententia secum
Epl. I. 17. 17. Cur sit Aristippi potior sententia, namque
A. P. 76. — voti sententia compos
A. P. 219. Sortilegis non discrepuit sententia Delphis
185. Imbibit, ut quando sumas, respondeat echo
Serm. II. 6. 24. — ne prior officio quisquam respondeat, urge
277. — claudoque trahit vestigia gressu
Epl. I. 1. 74. — vestigia terrent
Epl. II. 1. 160. — manent vestigia ruris
Epl. I. 19. 21. — posui vestigia princeps
Epl. II. 2. 80. — sequi vestigia vatum
A. P. 286. — vestigia graeca
15. Torrentemque sitim torrentis temperat algor
Epl. II. 2. 187. — temperat astrum
35. Ast non hec homines invisit gratia cunctos
Epl. I. 6. 49. — gratia vivax
149. Fercula degeneri perturbant turpiter ore
Epl. I. 3. 22. Ingenium non incultum est et turpiter hirtum
A. P. 3. — turpiter atrum
Desinat in piscem —

Digitized by Google

Nec desunt in quibus non ad verbum, sed dilucide tamen videtur allusisse velut

198. — habere
Debet lingua modum —
Serm. I. 1. 106. Est modus in rebus sunt certi denique fines
31. — altricis ab ubere natus
Carm. IV. 4. 14. fulvae matris ab ubere

quem locum etiam Claudianus III. Cons. Honor. 77 et Statius Achill. II. 184. imitati sunt.

243. Inque dies vellet nostros dilata fuisse
Serm. I. 10. 68. — nostrum dilatus in aevum

cfr. etiam v. 377—78 — ut ordo lege fruatur
Principio finem capiti subiungere caudam —

cum eis quae Horatius A. P. init. praecipit.

Ad Ovidium autem, qui nominatim saepius et cum Corinna versu 394 appellatur, spectant haec:

16. Sanctius his animal homo rerum flosculus, heres
Celi, forma dei, cui celum cernere facto
Os sublime dedit placidissimus ille creator
Met. I. 76. et 85. Sanctius his animal mentisque capacius altae —
Os sublime dedit caelumque videre
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

confer etiam laudes vini v. 226 ss. cum Ovidii arte am. I. 257. ss., eademque vocabula eodem versus loco servantur v. 77 et Met. 543, V. 195 et Met. VII. 491.

Nec mirum quod etiam de Dionysii qui fertur Catonis libro, ut erant illa tempora gnomicae poesis amantia, nonnulla delibavit

ut 66. Vel si persuadet locus aut res, tempus et ordo
II. 5. Dandum etenim est aliquid, dum tempus postulat aut res.
II. 18. Insipiens esto, dum tempus postulat aut res.
24. Inter convivas hilaris, convivia letus,
Mensas urbanus, comedenda bibenda facetus
III. 19. Inter convivas fac sis sermone modestus,
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.
271. Indulgere gule noli nec viribus haustum —
et 415. Non obstare gule —
IV. 10. Indulgere gulae noli, quae ventris amica est.

Digitized by Google

Juvenalem ei fuisse in manibus demonstrant cum versus 27 et 116, quos conferas cum Juv. sat. X. 249 et III. 142, tum versus 236, ubi cornu Codri *ad Codrum illum a Juvenale sat. III. 203 et 204 memoratum referendum est.*[26])

Nec Vergilius a Reineri studiis remotus erat, quem cognosces in versu 42 et 247 coll. Aen. XI. 571. et IV. 128. IX. 106. X. 115. XI. 797. X. 841.

Quod autem memorantur

v. 150. — Satyri miracula folles
et 163. Calvus eques capiti solitus religare capillos,

neminem fugiet ab Aviano (fab. XXXIV et X) illa repetita esse.

Etiam Senecam nominatim appellat eiusque illud

Qui nescit tacere, nescit et loqui .

v. 98 metrice concinnat dicens:

— illud Senece tunc usque memento:
Qui nescit reticere, loqui non novit.

Non ignoro ab eis qui magis ista callent, facile plura huiusmodi exempla conquiri posse, sed ea quae attuli, sufficient nec deerunt, quibus iam videar fuisse longior.

Adde quod Reinerus veterum fabulas probe novit, id quod docent Scylla (351) Charybdis (184) Aeolus (150) Ceres (76. 92) Thetis (47. 128) Volcanus (148) Anubis (343) Ammon (341) Theseus et Pirithous (74. 287) Naiades (248) Lyaeus (314) commemorati, quod Pythagorae scholarum (103) notitiam habuit atque vel litterarum graecarum peritus erat, nam ut ipse titulus carminis Phagifacetus *pariter atque* segma *(178. 354) graeca redolent, sic occurrunt et graeca nonnunquam vocubula* (kyrios *360,* xerophagia *226) et graeca verborum constructio*[27]) *(160. 409), sic non felici veriloquio vox* panis *a graeco* πᾶν *derivatur*

V. 80. Dicta quidem panis a pan, quod denotat omne.

Versionem Brantianam, quamquam ex libro rarissimo iam Zarncke[28]) *recudendam curavit, tamen textui latino addendam duxi, non quod editor doctissimus hoc vel illud omisit aut minus accurate repetivit — leviora enim illa sunt omnia — sed quo facilius Vos, cum perpauci Zarnckii librum habeant, textus latini elegantiam et breviloquentiam ipsi comparare*

---

[26]) *Cfr. quae infra ad hunc versum ex Horatio quoque adnotavimus.*
[27]) *Cfr. Schmeller l. l. 237.*
[28]) *Sebastian Brants Narrenschiff. Leipzig 1854. p. 147—153.*

Digitized by Google

possitis cum eis, quae poeta Germanus carminum laude insignis composuit, quae etiam per se memorabilia sunt multumque valent ad condicionem, quae tum erat, litterarum germanicarum recte cognoscendam. Nam eis, qui latina iam omnia fastidire consuerunt longeque a se relegata volunt et propulsant, quos non paucos esse doleo, gratificari, ut qualis maiorum nostrorum in mensa mores fuerint, sine molestia legere possint, cum Vestri conventus sollemnitate nescio quo modo repugnat. Sed quoniam in textu constituendo a Brantii libro saepius nobis recedendum erat, nolite mirari, quod interdum versio eius cum nostra recensione minus concordat.

Glossas germanicas, quae antiquiores interdum vocum formas servarunt, e codice Stetinensi addidi.

Digitized by Google

Noscere qui mensis decori sint, lector, honores
Si cupis aut mores, dogmata nostra legas.
Grecia legifere Cereri sua Thesmophoria
Indidit: at per nos Thesmophagia patet.)*

Res rerum natura parens ita concipit omnes
Et parit, ut nate potuque ciboque diatim
Indigeant, pascique velint aut vivere nolint.

*Non omnia animalia equaliter comedunt.**)*

Non tamen equali mater sua pignora more
Esse docet, nec adest cunctis vescentibus idem
Ritus vescendi. Quis nescit? Quippe quibusdam
Vivitur ex rapto, puta pardis tigribus ursis,
Scilicet his inter vescendum sevior ira
Mens truculentior et rabies crudelior ardet.
Eedem non reputant simul hostes vincere binos
Fas sibi, sed postquam prior adversarius esu
Esuries cecidit, tunc demum dira domatur,
Cuius congestis fornax incanduit escis,
Incentiva sitis, gelidas properatur ad undas
Torrentemque sitim torrentis temperat algor.

Homini inter edendum maior honestas competit.

Sanctius his animal homo, rerum flosculus, heres

---

*) Absunt hi versus a cod. Lub. et Stet., in Brantii (b) editione adduntur epilogi loco in fine.

**) Ea quae singulis capitibus inscribuntur in b solum et h reperiuntur.

2. G. b. *dietim.* — 3. L. G. *vescique.* — 8. G. *edendum.* — 9. crudelior G. *intensior* L. *intentior.* — 12. S. L. *domantes* b. *donatur.* — 14. Eichstadius coniecit: *incendiva* sed nihil opus est coniectura (cfr. Diefenbach Glossarium latino-germanicum mediae et infimae aetatis s. v.) — 16. cfr. Ovid. Met. I. 76.

Glossae germanicae: 1. concipit *enpfacht.* — 7. tigribus *tigertieren.* — 8. sevior *grimmer.* — 9. truculentior *schörpfer,* rabies *wütung,* crudelior *grülicher.*

Digitized by Google

Thesmophagia.

Natur ein mutter aller ding
Entpfocht vnn gebirt vff solich geding
Ir geschoppfde: das sie on allen wanck
Sich bruchen mussen spiß vnn dranck.
Doch leret nit in glicher wise
Ir kind die mutter essen spise
Es haben ouch all essend nit
In irem essen glichen sit
Es nert auß roub sich manig tier
Als pardel, beren, tigertier
Mit grossem zorn zum essen brint
Ir wiettendt gemiet, als in das zympt
Doch meinen sie, sin zimlich nit
Zwen viend vertriben vff ein zit
Mit essen so der erst gelit
So dunckt sie dann ze trincken zit
Dann so erhitzigt wird der mag
Von vile der spis noch irem beiag
So ilen sie zum wasser kalt
Vnd brechen der hitz iren gewalt
Aber nit also das heilig dier
Der mensch, der aller blumen zier
Ein erb des himels, gottes gestalt
Dem geben hot der schoppfer gewalt
Das es mit strakem angesicht
Gen himel zu sim vrsprunck siecht
Mißbrucht sich also siner spise
Vnd lebt nit also in viechscher wise
Siner eren in sunder es gedenckt
So es die zen ins essen senckt
Indem der mensch kein viech ist nicht
Dan er mit fridlichem angesicht
Maßlich die spise angriffen pfligt

Digitized by Google

Celi, forma dei, cui celum cernere facto
Os sublime dedit placidissimus ille creator,
Non ita degenerat, nec eum recreantia tali,
Oblitus decoris, invadit edulia morsu;
Illo precipue non bestia, quod sua vultu
Fercula pacifico parsurus pene locumque
Facturus venie scit delibare soletque,
Inter convivas hilaris, convivia letus,
Mensas urbanus, comedenda bibenda facetus.

Facetia mense diu usitata.

Nec est credendum, quod orta facetia mense
Pullulet aut paucos etatis computet annos,
Que potius iam canet anus tantique timoris
Extitit antiquis, ut iuramenta per ipsam
Et facerent veteres et facta revellere nollent.
Denique sepositus altricis ab ubere natus
Non prius ad patrie recipi consortia mense
Dignus erat, quam mensales didicisset honores,
Et nosset, positis quis mos servandus in escis.

Pauci servant mores mense.

Ast non hec homines invisit gratia cunctos,
Ut mense vixisse sciant, quia vivere mensa
Pluribus accedit, sed mense vivere paucis.

Bestia est, qui in mensa moribus caret.

Quapropter multi, quando subiere penates,
Quos penes emicuit urbanior usus edendi,
Cum monstrare nichil in se laudabile scirent,
Pocula dedecoris calicemque bibere pudoris,
A ritu modicum dicti differre ferino.

Que observanda in genere.

Si quis ergo voles scius aut urbanus haberi
Nec quasi corda lyre sic discordare, memento

17. *facto* glossa Stet. expl.: creato et perfecto, *cernere* i. e. ad cernendum. — 18. cfr. Ovid. Met. I. 85. — 19. **h.** *enim.* — 26. **L. G. h. b.** *nec credendum est quod nunc.* — 27. cfr. Juven. X. 249. — 28. **h. G.** *Quin.* **S.** *tantumque timoris.* — 30. **G. h. b.** *firmarent.* — 31. cf. Hor. Carm. IV. 4. 14 **G. h. b.** *genitricis.* **b.** *depositus.* — 44. **S.** *qui.* gl. corr. *quam.* — 35. **S.** *Ast homines non hec,* **L.** *At,* **G. h. b.** *Sed.* — 37. **S.** *accidit.* — 39. **L.** *enituit.* — 40. *in se.* **G.** *mense.* — 42. **L. G. h.** *dicti modicum.* — 43. **L. S. G.** *volens.* Jacobus conj. *volet.*

24. convivas *tischgesellen.* — 25. urbanus *hofflich,* facetus *klug.* — 27. computet *wegin* vel *schetzin.* — 35. invisit *beschawet.* — 41. pudoris *der schämrötin.*

Digitized by Google

Scham vnd ouch zucht er eben wigt
Als ob er der spis schonet gern
Wo not, nit zwing, mocht er entbern
Derselben, dar vmb er frolich ißt
Siner hoflicheit er nit vergißt
Mit grosser zucht nymbt er das maß
Siner schimpf vnnd hofred nie vergaß.
Es ist ouch zu wenen nit
Das erst an vach vff dise zit
Vonn nuwem wachsen disches zucht
Oder das sie kurtzes alter sucht
Jo ist sie grow von iores zal
Vnnd in sollichen eren vber al
Alzit gesin, das man vor ioren
Allein by hofzucht hat geschworen
Vnnd was ouch also ward beseſt
Das was zu halten keiner der letzst
Das kindt von siner mutter brust
Wie wol es gab dem vatter lust
Nam es doch von sim disch kein frucht
Bis das es lernet dische zucht
Vnnd wust was sitt es haltten solt
So es zu disch sich setzen wolt
Doch sollich genad nit vber al
All menschen sucht das sie on sal
Noch art des disches wissen leben
Jo ist das gar vil menschen geben
Das sy vom disch leben gern
Aber dischzucht wellen sy entbern
Dar vmb gar vil, so sie zu gast
Geladen sint, do man brucht vast
Hofliches essen gutten sitt
Das sie verschulten sich domit
So sy nut loblich zeigen kunden
Do mit sy ir vnzucht verbunden
Dar durch sy drunken lasters mal
Das man sy viech nant vberal
Ob du nun wilt klug oder wise
Gehalten sin das man dich brise
So gedenck das dir nit misse dont
Als seitten so sie zur tyren stont
Was sich geburt zym flich, vnnd gebiett
Der disch, dar ynn dich eben hiett
Das dich din gropheit nit verfur
vnnd man dich rech ein wildes tyer

Digitized by Google

Quid vetet aut fugiat, quid postulet atque requirat
Mensa nec a stolide ruditatis ducere ductu.

De manibus lavandis.

Cum venit ergo Thetis manibus fundenda lavandis,
Mensarum qui primus honor, quicunque laboras,
Ut domino placeas, cuius conviva vocaris,
Non te pretereat pelvi, que suscipit undas
De manibus domini, celeres innectere palmas
Pollicibus iunctis, vel si mage sederit illud,
Pretenta gremium mantilis parte tueri
Et velare sinum, ne stille crebra cadentis
Offendat maculis dominas iniuria lanas
Tedaque consignet mundis vestigia pannis.
Hinc et tu mundare manus, sed tutius ante
Laveris et studio vigili prospexeris ungues,
Expulsis, si que parebunt, sordibus, ut tunc
Non sit opus longo multumque morante lavacro.

De discumbendi ordine.

Interea iam sedit herus mensamque latere
Nix extensa super denigrans lilia iussit.
Hic certe facienda tibi distinctio, nam vel
Convesceris hero sibi conscutellio factus,
Vel quemcunque parem tibi nanciscere sodalem,
Vel si persuadet locus aut res, tempus et ordo,
Nympha tibi iungenda manet, non omnibus idem
Servandus tenor est: domino reverentia tanquam
Maiori danda, socio dilectio tanquam
Equali, nymphe iocus atque facetia tanquam
Intuitu vigili nos factaque nostra probanti;
Hic gravis et stabilis, illic mediocris at istic
Melleus alloquiis et comptus gestibus esto,

---

45. **L. G.** *vetet ac.* — 46. *ducere* non referendum est quod Jacobus voluit ad *memento*, sed imperativus est passivi, quod recte monuit Habich. **S.** gl. expl. *non ducaris.* — 46. **L. S. G.** *nec ut.* — 47. **h. b.** *sumenda.* — 48. cf. Hor. S. I. 6. 83. — 50. **S. h. b.** *pelvis.* — 51. **b.** *celeres domini.* **L. G.** *immittere.* — 52. **L.** *sed si mage cederit illud.* **G.** *vel si mage cederit herus,* **b.** *isti* pro *illud.* — 53 **G.** *pretento mantili per te tuere.* — 54. **G. b.** *velato. crebro.* — 57. *et tu.* **S.** *eciam.* **G.** *mundato.* **L. S.** glossa. *tentius.* — 58. **L. G.** perspexeris. — 59. **G. h. b.** *si que pateant ibi.* — 61. **b.** *sedet.* — 62. **S.** *superextensa* glossa: *extensa super.* — 63. **b.** *Hec.* **G.** *trinis* pro *certe.* — 66. **L. G.** *persuadent locus et.* — 67. **G.** *Nimpharum iungenda manus.* **L.** *subit* pro *manet.* — 69. **L. G.** *danda est.* — 72. *istic.* **L. G.** *illic.*

---

58. *wol zimpt den adel das fleisch vor dem nagel.* — 70. equali *ebengenossen.* — 71. probanti *als ainer bewaererin.* — 73. gestibus *an dinen geberden.*

Digitized by Google

Wann man ſoll nemen vber die hend
Das waſſer, ſo mach dich behend
Wiltu dem herren gefallen wol
Das er dich furbas laden ſol
Yl griff das becken vor dem diſch
Mit beiden doumen das erwiſch
Oder nym der zwehel teil vnnd ſtreck
Des herren gewant domit bedeck
Das nit die tropfen tiegen leid
Vnnd machen wuoſt des herren kleid
Dar nach ſo mach din hend ouch rein
Doch weſt dus ſichrer vor allein
Vnnd beſich die nagel eben vnnd fin
Das nienan wuoſt dar vnder ſchin
Dar zwiſchen ſo geſeſſen iſt
Der herr vnnd ietz bedeckt der diſch
Schne wiß mit diſchduch vberſpreitt
So halt du diſen vnderſcheitt
Antweders du ſitzſt an der ſytt
Eins herren der dich ladt zu zit
Oder by eim geſellen glich
Oder es fuget alſo ſich
Das dir wirt zu geſetzt ein frow
So lug vnnd ſich fur dich genow
Dann nit zehalten gliche wiſe
Iſt by in allenn ob der ſpiſe
Dem herren ſoll man bietten ere
Als dem der iſt an wirden mer
Dem geſellen fruntlich zeigen ſich
Als dem der dir iſt eben glich
Den frowen buit ſchimpf, hofzucht dar
Als denen die do nemen war
Gar eigentlich wort vnnd geberd
Dar vmb ſo halt dich on geferd
By herren ſig dapfer vnnd ſteet
Als katho der gab ie gut reet
By geſellen lieplich halt dich ſuß
wie theſeus vnnd perithous
By frowen biß naſo bereit
Ker dich ye wo der wint har weit
Von erſt frow ceres brot har treit
Die hatt dem hunger widerſeit
Ein ſterck des lebens, aller ſpiſe
Ein liplich geſpons vnnd gemahel wiſe
On die all ſpiß vnnd geſchmack wer nit

Digitized by Google

Hic Cato, Pirithous illic, ibi Naso vocandus
Mutandusque tibi iuxta quod quisque requirit.

De pane sumendo.

Ecce Ceres, robur vite, iocunda ciborum
Cunctorum coniunx, sine qua cibus et sapor omnis
Degenerat, patulis coram portata canistris
Prima venit grata visu, mage grata sapore,
Dicta quidem panis a pan, quod denotat omne,
Omnia namque preit invitatoria gustus;
Et nichil est, positis quod eam precedere mensis
Debeat aut ipsa prius in commune locari,
Maxima nunc inimica famis, quo mu[illegible]ere reges,
Quo populi vivunt et habent commercia mense.

De distributione ciborum.

Hec tibi, si iuxta predicta sedes Cato, ferro
Invadenda tuo dominoque secanda sedenti,
Nec tantum domino, cuius consessor es, immo
Et partim domino, qui cuncta dat et sibi reddi
De donis vult dona suis, hoc parte ciborum
Placato pulcre tractari fercula possunt.

De letitia in mensa.

Post Cererem quecunque volunt allata secari,
Obsequium prestabis idem, tunc cedere ruga
Et properare fugam contracti cogitur oris.

De locutione in mensa.

Maiori iunctus, quanto propioris habebit
Maiestatis onus, tanto tibi plura cavenda
Esse scias, illud Senece tunc usque memento:

78. **L. S.** *paribns.* — 81. **G. h.** *gustu.* — 82. **L. S. G.** *quod eam positis.* — 85. **L. S.** *populus.* — 86. **G.** *precepta.* — 88. **L. G.** *Non.* — 89. ss. **S. b. h.** post *immo* addunt versum: *Et partim domino cuius consessor es, illi,* pergunt tum omnes: *Nimirum domino* — facile apparet librariorum errore ex duobus versibus repetito partim hoc partim illo tres factos esse nec ab illis, qui id perspexerunt, omisso tantum versu medio errorem plane sanari potuisse. Ceterum cogitandum esse de pane pauperibus dando glossa **S.** monuit laudato Johannis Urbani versiculo: *Cum sis in mensa primum de paupere pensa.* — 90. **L. G.** *hac.* **b.** *hunc.* — 93. **G. h. b.** *Officium.* — 95. **gl. S.** vel *potioris.* **G. h.** *habebis.* — 96. **L.** non *semce* exhibet, quod legit Jacobus, sed *senice* i. e. *Senece;* ceterum cf. Seneca de moribus vol. III. ed. Haase no. 132. p. 467. *Qui nescit tacere, nescit et loqui.* — 97. **L. G.** *tamen usque.*

75. mutandus *wandel schuldigt,* iuxta quod *nach dem.* — 81. invitatoria *latbern.* — 83. in commune *in die gemein.* — 88. immo *halt.* — 91. placato *behuldiget.* — 94. properare *schnell,* contracti *gerumpfen.*

Digitized by Google

Sie kumet dar in korben wit
Lieplich zu sehen an den ring
Genent panis das ist all ding
Dann sie vor allenn dingen gat
Die man versucht vnnd in sich lat
Nut vff dem disch soll vor ir gon
Noch werden in die gemein gelon
All kunig volcker, vnnd disch genoß
Sich bruchen sollicher gaben groß
Sitzstu nun an her Catho stat
Das ist, ob din disch an im hat
Ein herren, so nym schon das brot
Teil das mit dinem messer gedrot
Vnd schnid das dinem herren fur,
Vergiß des nit [der] vor der thur
In namen got sins herren stot
Teil im gar milteglich din brot
Dann got der vns gibt alle ding
Der wil das wir im ouch gering
Ein teil siner goben wider geben
Das wir dest baß mit eren leben
Wann das geschicht so macht du schon
Die ander spiß lan zuhar gan
Ob ander spisen ouch sey not
Das mans zerteil, glich wie dem brot
Volbring din zucht, zerschnyd das vin
Din truren soltu lossen sin
Zeig iederman ein frolich gesicht
Dein stirn vffzuch kein runtzel nicht
So vil an eren grosser ist
Der herr by dem zu disch du bist
Je mer zu hietten dich vermiß
Senecas spruch niemer vergiß
Wer nit zu ziten schwigen kan
Der nem sich gantz nit redens an
Es sol die zung halten ir maß
Das nit besche ein vberfluß
Der red, vnnd man dich vnwiß acht
So du so gar redest vnbedacht
Wirst du gezelt der kreigen glich
Die selber gern hort singen sich
Do mit sie bald den keß verlor
Den sie kum hett gewunnen vor.
Doch biß ein stum nit alzu mal
Als einer vß pythagore schul

Digitized by Google

Qui nescit reticere, loqui non novit; habere
Debet lingua modum, ne facta profusio vocis
Delire valeat dici ructatio mentis
Et fastiditum moveat cornicula risum.
Sed neque mutus eris cetus imitando silentum
Pythagoreque scolas, immo, ne nulla loquendo
Suspectus nimium fias despectus, abhorre
Et nichil et nimium. Si queris qualiter, audi:
Nec nimius verbis esto nec nullus et equum
Inter utrumque modum sub quodam dirige neutro.
Si vero magnus fuerit summeque verendus
Personatus heri, nisi verbum forte rogando
Eliciat, nunquam tua pandas hostia voci.

De attingendis escis.

Hoc quoque turpe nota: Si, dum vaditque reditque
Oris serva manus, in disci parte morantem
Assequitur dominum, manibus scutella duabus
Intrari pariter, quamvis sit et ampla, recusat.
Sustineas igitur, donec complerit herilis
Dextra vie causam degressa parapside, tunc tu
Mitte tuam revocaque manum cedatque decori
Expectasse parum; maior condire venustas
Assolet acceptas interscalariter escas.

Non sepe conspicienda sunt fercula.

Nec tibi continuo placeat defigere visu
Fercula, ne nimium videaris avarus in illis.
Quin immo leti passim spatientur ocelli
Non alias circa contentum vasis ituri,
Quam quando ducenda manus monstrandaque recto

---

101. *cornicula* cf. Hor. Epist. I. 3. 19; Totus hic locus a v. 98 ad Horatium videtur spectare, cuius non solum verba singula Reinerus repetivit, sed etiam mores et vivendi praecepta auream illam commendans mediocritatem videtur esse secutus. cf. Carm. II. 10 Epist. I. 18 in. A. P. 31. Serm. I. 1. 106. — 102. **L.** *turbas imitando.* — 104. **L. S.** *nimia* **G.** *nimiumque.* — 105. **L.** *Quid nichil.* — 106. **L.** *verbis nec nullus haberis.* — 107. **b.** *dirigere metro.* — 109. *Personatus.* Diefenbach: wirdickait. — 110. **L.** *perliceat* **G.** *proliciat.* **h. b.** *voce.* — 111. **S.** *voca.* gl. corr. *nota.* item in fine versus: *receditque.* — 117. **S. h. b.** *Mitte manum* **L.** *cedetque decori expectare.* — 119. **L.** *interscaliter.* **G.** *interscallariter,* **h. b.** *intercalariter.* Jacobus coni. *intervallariter* sed vide Diefenb. s. v., *interscalaris* est enim idem quod *gradatim.* **gl. S.** expl. *paulatim.* — 123. **L.** *contentum.* **gl. S.** expl. *id quod vase continetur.* — 124. **L.** *ducendaque certo.* **G.** *monstrandaque certo.*

---

114. recusat *widret.* — 122. passim *wit.* — 124. quam *dann.*

Digitized by Google

Alzit ſchwigen wirſtu verdacht
Vnnd nutzet (!) reden gantz veracht
Nut vnnd zu vil alzit du ſlich
Ob du nun witer frogeſt mich
Trib wort zu vil nit vberfluß
Schwig ouch nit gar, halt dich alſuß
Das du das mittel treffeſt gantz
Des zyles acht, du gewinſt den krantz.
Ob aber groß gewalt vnnd ere
Ouch wurden hab der ſelbig herre
So ſchwig, thu vf nit dinen mundt
Biß er mitt fragen an dich kumpt
Hett dich gar eben vor der ſchandt
Wann vß gat zu dem mund die handt
Biß nit der erſt, loß ſie am bort
Deß dellers liggen an eim ort
Des herren wart das er an vach
Zu eſſen, ſo var du im nach
Dann in die ſchuſſel man nit ſol
Ob ſie ſchon wit iſt vff ein mol
Stoſſen zwo hend, nym eben war
Biß der herr von der platten var
Vnnd er gelad ſin hant dor von
So laß die din ouch zuhar gan
Sum dich nit in der ſchuſſel lang
Zuch ſie hin wider, alſo brang
Beitt ie ein klein, das zieret din ſpiſe
Man halt dich fur ein eſſer wiſe
Du ſolt ouch vff die ſpiſen niht
Stets ſlagen an din angeſicht
Das man dich nit halt fur ein froß
Sunder loß in ſolicher moß
Din ougen frolich vmbhar gon
Loß ſie nit an der platten ſton
Du welt dan dor in tun din hant
Das ſie blib vff dem rechten gang
So ſich vernünfteclich dar zu
Das man nit ſprech du ſigſt ein ku
Griff ouch nit vff das houbt bloß
Din hant nit in den buſem ſtoß
Kratz do mit nit, dan du ſie haſt
Geweſchen vor, ee du zu gaſt
Geſeſſen zu dem heren biſt
Das nit vnluſtig werd der diſchs
Lug ouch wann du dich ſetzen wilt

Digitized by Google

Semita proposito, cuius ratione sedetur.

Manus non immittenda capiti.

Sed neque sulcandis manus est prestanda capillis
Nec intromittenda sinum, quam colluit ante
Hac ratione Thetis, ne sordida deroget escis.

De pediculis providendis.

Videris et quando mensam sessurus adibis,
